Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8266
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ezechie. vel qualis confortacio esaie. lege in
Esaia et proferet causam excitacionis in ipso.
Ezechias autem genuit manassem.
Manasses autem interpretatur ab insur-
gente. vel ex oblivione. Quam
interpretacionem commendat et liber genesis.
Ubi cum natus fuisset in egypto filius Joseph
vocavit nomen eius manasses dicens. Ob
livisci me fecit dominus locorum meorum. et omnium
parentum meorum. Et si ab surgente intelligatur
sic dicere possumus. quia forte ab insurgente se-
nacherib super eum liberavit eum dominus. Ideo
quasi gratias agens deo. postea in nomine
filii vocavit eum manassem. Si autem in
telligatur ex oblivione. iterum alio modo esti-
mare possibile est. quoniam non faciebat filios:
propterea quod cum genuisset filium. vocavit nomen
eius ex oblivione. quasi ex desperato fi-
lium sibi natum. Hec secundum propositum bonum
estimabimus parentis. Alioquin secundum actum
pessimum manassem aliter est estimandum.
Quoniam pater quidem eius illo proposito vo-
cavit eum manassem. Providencia autem
dei. sic eum dispensavit vocari. quia ob-
livisceretur futurus omnem conversacionem
sanctam patris sui. et omnia beneficia dei. pro me-
rito eius collata in ipsum. stimulatus ab
insurgente dyabolo qui solet insurgere
super genus humanum ad evertendum. gesturus
omnia que deum ad iracundiam provocarent.
Denique cum egrotasset ezechias in tempore
quodam. et venisset ad eum esayas propheta
ad visitandum. vocavit ezechias filium
suum manassem ante se. et cepit ei
mandare. quomodo debeat deum timere.
quomodo regere regnum. et alia multa dixit.
ad eum esayas. Vere quia non descendunt
verba tua in cor eius. sed et me ipsum oportet
per manus eius interfici. Quod audiens
ezechias. volebat filium suum interficere.
dicens. Quia melius est me filio sine
mori. quam talem filium relinquere. qui et
deum exasperet. et sanctos eius persequatur.
Tenuit autem eum vix esayas propheta dicens.
Irritum faciat deus consilium tuum hoc.
Videns ezechie religionem. quia plus
amabat deum quam filium. Tamen cum
multa gessisset impie hic manasses. ad-
duxit super eum deus principes. virtutes
regis assiriorum. et comprehenderunt manassen
in vinculis et ligaverunt eum in compedibus.
et perduxerunt eum in babyloniam. et erat
ligatus et concatenatus in domo carceris.
Et dabatur ei contrarius panis ad men-
suram modicus et aqua cum aceto modica
ad mensuram. ut viveret tantum. et erat
constrictus et in doloribus valde. Et in eo
cum vehementer affligeretur. quesivit faciem
domini dei sui. et oravit eum. que oracio extat.
Et exaudivit dominus vocem eius et misertus
est eius. Et facta est circa eum flamma ignis.
et liquefacta sunt omnia vincula eius. et liberavit
dominus manassem ex omni tribulacione eius
et reversus est in ierusalem in regnum suum.
et cognovit manasses dominum dicens. Ipse
est solus deus. Et servivit soli domino deo
in toto corde suo. et in tota anima sua. omnibus
diebus vite sue. Et reputatus est iustus.
et ideo forte. vocatus est ab insurgente
vel ex oblivione. quia liberavit eum deus
ab insurgente. et ex oblivione dei me-
mor factus est dei.

Manasses autem genuit Amos. quod
interpretatur fortitudo. Et si quidem Amos
ante penitenciam manasses genuit
amos. cum malignaretur in peccatis. non
possumus estimare quasi religionis causa
vocaverit eum fortitudinem. sed causa